

nem ac ruinam tam currus, quam in eo sedentis minitabantur. Certe id *Sisara* merito timere poterat, praesertim quia, teste Scriptura sacra (1), Deus ipse perterritus *Sisaram*, et omnes currus eius, universamque multitudinem in ore gladii, ad conspectum *Barac*, etc. Addit *Iosephus* (cui hac in re interpretes fidem non denegant) et testatur (2), in chananaeos vehementem e coelo demissam fuisse tempestatem, grandinem, pluviam, quae omnia, cum in faciem chananaeorum, et in capita equorum quadrigam *Sisarae* trahentium vento ferrentur, quid mirum, haec animalia fuisse consternata, ducemque coëgisse, ut curru desilieret, et in pedibus salutem quaereret? 3. Etiam si daremus, imprudens et inconsultum tunc fuisse, relicto curru pedibus fugere, neququam tamen sequeretur, Scripturam falsum narrasse, sed solummodo, *Sisaram* vehementi terrore percussam inconsulte egisse. Quis enim nescit, subitis terroribus usum rationis turbari, iisque non raro homines in illud ipsum periculum aut exitium, quod vitare volunt, praecipitari? *D. Du Bellay* in suis adversariis luculenta ea de re exempla in medium profert, quae cl. *Bullet* (3) adductis propriis auctoris illius verbis recitat: *Cum imperii mareschallus de Bourbon*, inquit, *D. Du Bellay* (4), *Romam obsideret*, singularis casus accidit; nam cum aliquis signifer apud collapsum quendam murum excubias ageret,

(1) Iud. c. 4, v. 15.

(2) L. 3 antiq. iudaic. c. 6, ubi ita ait: «Itaque commissa pugna vehemens imber mixtus grandine supervenit, quem ventus in adversos chananaeorum vultus ingerens, et prospectum adimens, inutiles eorum iaculatores ac funditores reddidit. Israelitas vero tempestas a tergo imminens non solum minus offendebat, sed alacriores etiam faciebat, manifesto Dei

et mareschallum de Bourbon cum aliquot militibus, situm loci explorantem, per vineas adventare cerneret, ita perterritus est, ut putans, se versus urbem retrogradi, recta antrorsum per ruinas murorum progrediretur, vexillum manu tenens. — Cum vero trecentis fere passibus ita extra urbem processisset, et in castris hostilibus bellicum audiret, repente agnovit errorem suum, et instar hominis ex alto sopore evigilantis, eadem via, qua egressus est, ad urbem rediebat, ac per eundem ruinarum hiatus, per quem egressus erat, se iterum recepit. Simile exemplum idem scriptor alibi (5) refert hunc in modum: *Dux Yville*, inquit, propugnaculum ad portam urbis *DOURLENS* (6) positum defendendum susceperat. — Eiusdem ducis signifer, vir ceteroqui strenuus et expertus, cum in propugnaculo, vexillum manu tenens, staret, et hostem incursionem facturum appropinquare cerneret, ita perterrefactus est, ut, cum in urbem se recipere vellet, per aperturam explodendo tormento bellico paratam penetraverit, et cum vexillo in manu directe ad hostem properaverit, a quo occisus est. Iam iterato ex adversario quaero, mirumne, aut omnino incredibile foret, si *Sisara* ingenti terrore percussus, praeposterum fugae medium arripuisset; quamvis fugam illius pedibus quaesitam, ineptum in illis circumstantiis fugiendi medium fuisse, nunquam concesserim; ut ex supra di-

praesentis ac faventis signo accensus. Porro, quamvis de hac tempestate nihil explicitè legamus in Scriptura, potuit tamen *Iosephus* hanc relationem ex veterum traditione hausisse.

(3) Réponses critiques, tom. 2, n. 50. *Barac*.

(4) Lib. 3.

(5) Lib. 1.

(6) *Dourlens*, seu *Doulens* aut *Doullens* est parva munita civitas in Picardia.

ctis (1) patet. Id solum cum *Calmeto* (2) adhuc observo, quod etiam apud *Homerum* (3) troianus quidam miles terrore captus de curru desilierit, ut e *Diomedis* manu dilaberetur; quod ipsum alius fecit, ut *Achillem* fugeret (4). Nimirum ipsorum equi non ea, qua optabant, celeritate ferebantur.

22. Denique id, quod *encyclopaedista* de facto *Iahelis* occidentis *Sisaram* false pronuntiat, nobis minime obest, nam necesse non est *Iahelis* factum quoad omnes circumstantias excusare, cum inter ipsos catholicos tres hac de re sint diversae opiniones. *Calmet* (5) in eam propendit sententiam, quod *Iahel* peccarit, non solum mentiando, quando *Sisaram* in tentorium suum invitavit, dicens: *Intra, ne timeas* (6); sed etiam, quia illum occidendo iura hospitalitatis violavit, pacemque, quam ipsius maritus *Haber* cinaeus cum *Iabino* rege chananaeorum inierat (7), sic fregit; quamvis caeteroquin ob suam virtutem et animum iure commendanda sit. *Abulensis* (8) vero cum *Lyrano* et *Ioanne Arboreo* existimat, non peccasse quidem *Iahelem* occidendo *Sisaram*, peccasse tamen leviter fictis quibusdam blanditiis ac mendaciosis. Tertia demum opinio est, nihil omnino peccasse, sed ista in caede fecisse omnia prudenter, iuste, ac recte. Sic *Arias Mont.* (9) *Serarius* (10), *Cornel. a Lap.* (11) cl. *Bullet* (12), quos, si lubet, aliosve interpretes (13) consule.

23. QUÆRES VI. An s. Scriptura in voto *LEPHE* abominabilem

(1) Relege primam et secundam responsionem hoc numero positam.

(2) Comment. in Iud. c. 4, v. 15.

(3) Iliad. 5. (4) Iliad. 20.

(5) Comment. in Iud. c. 4, v. 17.

(6) Ibid. v. 18. (7) Ibid. v. 17.

(8) Hoc loco, q. 24.

(9) Comment. in Iud. c. 4, v. 18 et 21.

quarundam gentium morem homines velut victimas diis suis immolandi approbet? Æ. Negative. Contrarium enim clare constat ex Deuter. c. 12, v. 30 et 31, ubi Deus ad populum israeliticum ait: *Cave, ne imiteris eas* (gentes), postquam te fuerint introeunte subversae, et requiras caeremonias earum, dicens: *sicut coluerunt gentes istae deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt, diis suis offerentes filios et filias, et comburentes igni.* Falsum itaque est quod Deus in lege veteri gentium illarum ritum approbarit, quae diis suis seu daemoniis humanas hostias immolare solebant. Aliud est, quod Deus tanquam absolutus dominus vitae et mortis in uno alterove singulari casu ex altissimis finibus praeceperit, aut voluerit, hominem immolari, nimirum filium *Isaac* ab *Abrahamo* vel fortassis etiam filiam *Iephte* a patre suo.

*Dixi: fortassis.* Nam valde dubium et controversum est, utrum *Iephte* filiam suam cruenta morte sacrificaverit, vel solum incruenta, civili, et in aestimatione morali, eam Deo in perpetuum sacrando, ita ut illa absque spe nuptiarum et prolis perpetuo caelebs manserit, sicque in aestimatione iudaeorum civiliter mortua fuerit. Hoc ultimum praeter rabbinos defendunt viri doctissimi *Le Clerc*, *Marsham*, *Vatablus*, *Pagninus*, *Lyranus*, *Bullet* et *Nonnotte* cum plerisque recentioribus; favetque huic sententiae ipse sacer textus (14) ita so-

(10) Comment. in Iud. c. 4, q. 22.

(11) Comment. in Iud. c. 4, v. 17 et 18.

(12) Loc. cit. ubi *Iahelem* excusat, saltem ab omni peccato formali.

(13) Ubi in Iud. c. 4, commentantur.

(14) Iud. c. 11, v. 37 et 39.

nans: *Dixitque (filia Iephte) ad patrem: Hoc solum mihi praestat, quod deprecor: dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.... Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat; quae ignorabat virum; h. é. ad implendum votum suum pater curavit, ut ea ab omni hominum conspectu et consuetudine sequestrata, et civiliter sic mortua, viveret uni Deo; quae proin mansit virgo absque spe consequendi mariti et prolium. Id adhuc clarius expriment textus graecus, et paraphrasis chaldaica, quae ambo, loco verborum quae ignorabat virum, habent et illa non cognovit virum (1).*

24. Nihilominus, quia ss. patres et interpretes antiquiores, quos *Serarius* (2), et *Calmet* (3) longa serie citant et sequuntur, communissime defendunt, filiam Iephte cruenta a patre suo fuisse sacrificatam, ulterius *ŕ.* et dico: Etiam si hoc

(1) Textus graecus in latinum translatus ita habet: *Et factum est post finem duorum mensium, et rediit ad patrem suum, et perfecit Iephte votum suum quod vovit, et haec non cognovit virum, et facta est in praeceptum Israël.* Similiter paraphrasis chaldaica in latinum translata, sic sonat: *Et fuit a fine duorum mensium, et rediit ad patrem suum, et fecit illi votum suum, quod vovit; et illa non cognovit virum, et fuit ad statutum in Israël, sive, ut vulgata latina habet, exinde mos increbuit in Israël, ut scilicet filiae Israël singulis annis conveniant, et plangent filiam Iephte, prout sacer textus mox subiungit. Vide polyglotta biblia Ximenii cardinalis et archiepiscopi Toletani.*

(2) Comment. in l. Iud. c. 41, q. 16.

(3) In dissertat. de voto Iephte.

(4) Sic *Serarius* loc. cit. q. 17, cum aliis quibusdam censet, *Iephte* ex speciali Spiritus s. instinctu edidisse et implere votum illud, de quo hic agitur; quamvis s. *Augustinus* loc. supra cit. dubitet, alii vero omnino negent, *Iephte* hoc votum ex Spiritus s. instinctu conce-

verum esset, tamen non sequeretur, Deum approbasse abominabilem barbararum illarum gentium consuetudinem, quae solebant homines immolare Diis suis, sed duntaxat (ut supra iam diximus) in uno alterove casu ad immolandum hominem speciali instinctu (4) stimulasse, non quidem, ac si Deus humanis victimis secundum carnalem affectum delectaretur, sed ob alias altissimas causas et fines sapientissimos. Audiamus hac de re disserentem s. *Augustinum*. De filia Iephte, inquit (5), quod eam pater in holocausto obtulit Deo — solet esse magna et ad diiudicandum difficillima quaestio: quibusdam quid sibi hoc velit, nosse cupientibus et pie quaerentibus: quibusdam vero, qui Scripturis his sanctis imperita impietate adversantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod legis et prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quarum calumniis sic primitus respondemus, ut Deum legis et prophetarum — nec illa sacrificia delectaverint, ubi pecorum

ptum esse. Varia enim sunt hac de re auctorum sensa, quae *Serarius* loc. cit. accurate recenset. Aliqui enim cum s. *Augustino* et *Hieronymo* dubie loquuntur; alii vero sententiam quidem unam definiunt, sed ita ut in quatuor opinionum genera videri possint divisi. Nam 1. quidam aiunt, *Iephte* iudicem peccasse vovendo, sed non implendo. 2. Alii peccasse implendo votum, non autem vovendo. 3. Alii existimant peccasse *Iephte* et votum illud vovendo, et idipsum implendo. 4. Nonnulli demum censent illum neque vovendo, neque votum hoc implendo peccasse; horumque duae rursus sunt sectae. Quibusdam enim videtur *Iephte* s. Spiritus instinctu vovisse, atque quod voverat, explesse. Aliis videtur, *Iephte* iudicem votum illud concepisse non quidem ex speciali Spiritus s. instinctu, attamen ita prudenter et caute, ut neque in vovendo, neque in expletionem voti, peccati quidquam sit. Plura de his vide apud *Serarium* loc. cit.

(5) Comment. in l. Iud. q. 49.

holocausta offerebantur: sed quod significativa fuerint, et quaedam umbrae futurorum, res ipsas nobis quae his sacrificiis significabantur, commendare voluisse — ne verè secundum carnalem affectum talibus Deum delectari putarem — Deinde — Dominus in ipso Abrahæ filio (nimirum Isaaco) talibus sacrificiis (humanis) quod non delectaretur, ostendit: cum patrem, cuius fidem iubendo probaverat, a filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licite secundum veterem congruam temporibus consuetudinem completeretur, apposuit. Hucusque s. *Augustinus*. Similia etiam habet s. *Chrysostomus* (1).

At INQUIES: Si *Iephte* illud votum suum ex speciali instinctu divino concepisset, Deus saltem cruentam huius voti executionem impedisset: sicut actualement *Isaac* immolationem inhibuit. *ŕ.* Nego illatum et paritatem. Nam Deo tanquam absoluto domino vitae et mortis liberrimum fuit, unius caedem impedire, et alterius exigere. Causae autem speciales *Iephte* filiae actualement immolationem exigendi, aut saltem permittendi, poterant esse sequentes: 1. Ut mundus universus intelligeret, quam inviolate vota Deo reddi debeant, etiamsi gravissimae difficultates occurrant, ut ex s. *Ambrosio* observat *Turrianus* (2). 2. Ne homines allicerentur ad simile votum saepius concipiendum. Si enim, ait, s. *Chrysostomus* (3), post votum et promissionem illam (pa-

(1) Homil. 14 ad populum antiochenum.

(2) L. 1 de votis, pag. 1 et lib. 2, p. 28. (3) Loc. cit.

(4) Iud. c. 41, v. 16.

(5) Isai. c. 55, v. 7.

(6) Ad Philipp. c. 2, v. 8.

(7) Loc. supra cit. nimirum in l. Iud. q. 49.

tris *Iephte* executionem huius voti Deus) prohibuisset, multi etiam post *Iephte*, Deum sperantes non suscepturum, multa vovissent huiusmodi vota, et pergentes in filiorum caedem incidissent: nunc vero illud opere permittens impleri posteros omnes prohibuit (a similibus votis) — Et quod non coniectura (vana) sit, quod dicitur, finis demonstravit. Post illud enim sacrificium, nemo tale Deo votum vovit. 3. Ac praecipue, ut sic in morte cruenta filiae *Iephte* esset mortis, quam Christus amore nostri pertulit, figura clarissima, quae morientem Christum non tantum quoad voluntatem moriendi, ut *Isaacus*, sed quoad ipsam necis tolerantiam repraesentaret. Praeterea per innocentem *Iephte* filiam cruenta immolatam significatur innocens Christi caro in passione dilaniata; sicut per promptissimam illius voluntatem moriendi (4) praefigurabatur promptissima Christi Domini voluntas, qui (5) oblatum est, quia ipse voluit, et (6) factus est obediens usque ad mortem.

25. COROLLARIUM I. Impie errarunt illi infideles, qui teste s. *Augustino* (7), et *Chrysostomo* (8) ex voto *Iephte* intulerunt, Deum legis et prophetarum esse crudelem, et humanis caedibus oblectari. Contrarium constat ex omnibus supra dictis.

COROLLAR. II. Crasse quoque errat *Voltairius*, dum non uno in loco sui lexicis philosophici (maxime ubi de voto *Iephte* agit) audacter asserit, in veteri lege approbari *ἁγία πνεύματος* seu sacrificia cruenta homi-

(8) Verba s. *Chrysostomi*, homil. 14 ad populum antiochenum sunt: *Et novi quidem, quod infidelium multi crudelitatem et inhumanitatem nobis impropert propter hoc sacrificium (filiae Iephte). Ego vero multae providentiae et clementiae (divinae) demonstratione permissionem in hoc sacrificio factam esse dicerem, etc.*

num. Neque enim is dici potest humanarum victimarum approbator, qui eas severissime prohibet: prout easdem Deus Deut. 12, v. 30 et 31 prohibuit, et non nisi in uno alterove singulari casu easdem praescripsit, et quidem sic, ut eas semel in effectu impediret, ut factum est in *Isaaco*, semel autem iustissimas ob causas permetteret, ut iuxta multos permisit in filia *Iephte*; quamvis alii non sine gravi ratione negent, eandem a patre suo reapse et morte cruenta fuisse immolatam, ut supra ad initium huius quaestionis ostendimus.

26. At INSTAT *Voltairius*. Lege mosaica, inquit, omnes homines, qui Deo erant consecrati, debebant immolari iuxta illud Levit. 27, v. 29: *Et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur*. Vi huius legis etiam *Samuel* regem *Agag* in frustra concidit, cui *Saul* pepercerat: ergo in veteri lege sacrificia humana approbantur, imo praescribuntur. *¶* *Voltairium* in hoc quoque argumento turpiter hallucinari. Nullibi enim in Scriptura dicitur quod homines Deo consecrati seu sanctificati occidendi sint: neque loc. cit. dicitur: *Omnis homo Deo consecratus* etc. (prout *Voltairius* corrupte exponit); sed: *Omnis consecratio quae offertur ab homine, non redimetur* etc., hoc est, omnis res, seu omne animal, quod offertur ab homine. Vel si sermo etiam est de homine Deo consecrato, tamen sensus non est, quod talis morte cruenta, sed solum civiliter mori debeat, ita, ut sensus sit: *Omnis consecratio quae offertur per modum* *Cherem*,

(1) Plura de *Cherem* et diversis consecrationibus in veteri lege erudite disserunt *Bonfrerius* et *Cornelius a Lap.* comment. in Levit. c. 27, v. 2 et 28.

seu anathematis (1), morte morietur, scilicet vel naturali, vel civili iuxta diversitatem materiae, et conditionem rei Deo consecratae. Animalia quippe, quae sic offerebantur, mori debebant morte naturali et cruenta, homines autem aut res inanimatae, v. g. domus, agri sic oblatae, solummodo mori debebant morte civili, quatenus absque spe aut potestate ea redimendi, vel in profanum usum convertendi, in perpetuum manebant Deo consecratae, vel ad ministerium templi et cultum divinum obligatae. Atque in hoc sensu ibidem versu immediate praecedente dicitur: *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Haec tamen lex solum intelligenda erat de rebus vel personis Deo consecratis per modum *Cherem* seu anathematis (quale etiam fuit votum *Iephte*), non vero de consecratis Deo per simplex seu qualecunque votum. Hae enim redimi poterant (2). Porro rex *Agag* non erat Deo, Deique cultui consecratus, sed tum ob originem suam ex maledicta amalecitarum gente, quam Deus ad interuersionem deleri (3) voluit, tum et specialiter propter suam crudelitatem occisus est, et poenam talionis subiit; prout propheta, antequam eum in frustra concideret, eidem indicavit his verbis (4): *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit mater tua*.

27. QUARES VII. *Quomodo historia de examine apum, et favo mellis in ore leonis a Samsone occisi*

(2) Vide *Bonfrerium* et *Corn. a Lap.* l. c.  
(3) Deut. c. 25, v. 17, 18, 19. Item l. Reg. c. 15, v. 5.  
(4) l. Reg. c. 15, v. 35.

*reperito* (Iud. 14, v. 8) congruat cum experientia, et testimonio *Aristotelis* (1), *Varronis* (2), *Plinii* (3), et aliorum unanimiter asserentium, apes procul a putredine fugere, nec unquam illuc accedere, ubi foeda sunt cadavera, vel sanguis, vel caro, vel adeps? Quomodo igitur apes adhaeserunt leonis carni, cuius lues prae aliorum animantium tabe est putida?

Ad hanc difficultatem ab incredulis contra librum Iudicum obiectam, omissis aliis quorundam responsionibus, quas apud *Calmetum* (4) invenire poteris; amplector eiusdem celeberrimi interpretis solutionem, quam etiam *Blasius Ugo- linus* (5), et *Bullet* (6) solide tuentur, ac nego suppositum quod *Samson* in ore leonis adhuc putrescentis favum mellis invenerit, sed eundem reperit in leonis sceletto osseo et exsiccatum, cum iam carnes penitus fuissent absumptae, et tabes cadaveris defluxisset et exaruisset. Certe ita hunc locum Scripturae accepit *Syrus* interpres, qui Iud. 14, v. 8 non simpliciter posuit vocem *cadaveris*, sed vertit *cadaver osseum*, seu quod idem est *σκελετόν*, id est, corpus exsiccatum atque arefactum, in quo nihil superest praeter compagen osseam (7). In tali autem sceletto quidni potuerit apum examen consistere, et mel suum conficere, sicut in *Onesili* capite ad *Amathuntis* portas suspensio? Ita enim

(1) L. 9 de historia animalium c. 40, ubi ait: *πρὸς σάρκα δὲ οὐδενὸς καθίζει, οὐδὲ ὀφθαλμῶν. Curnem (apis) non tangit, nec obsonium (carneum) appetit.*

(2) Rustic. lib. 5, c. 16. *Varro* sic habet: *Nulla harum (apium) assidet loco inquinato, aut eo, qui male oleat. - Non ut muscae liguriunt, quod nemo has videt (ut illas) in carne, aut sanguine, aut adipe.*

(3) *Plinius* lib. 11, c. 21, de vespis et erabronibus inquit: *Omnes carne vescuntur; contra quam apes, quae nullum corpus attingunt.*

habet *Herodotus* (8): *Ὀνησίλου μὲν οὖν Ἀμαθούσιοι, ὅτι σφίσις ἐπολιόρησε, ἀποταμόντες τὴν κεφαλὴν, ἐκόμισαν ἐς Ἀμαθούσια καὶ μὴ ἀνεκρέμασαν ὑπὲρ τῶν πυλῶν, κρεμαμένης δὲ τῆς κεφαλῆς, καὶ ἤδη εὐούσης κοιλίας, ἐσμός μελισσῶν ἐσθῆς ἐς αὐτὴν, κηρίων μὴ ἐνέπλεσε.*

*Onesili caput Amathusii, quia ipsos obsederat, amputatum, et Amathuntem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum, cum exsiccatum iam esset, examen apum ingressum, favis implevit.* Et in sepulcro *Hippocratis* medicorum principis, si *Sorano* credimus in eius vita, *μέχρι πολλοῦ μηνῶς ἦν ἐργαζόμενον μέλι mellificantium apum examen diu fuit.* *Aldrovandus* quoque (9) narrat, *Veronae* in s. Crucis templo, in tumulo binarium celebris iuriconsulti *Bartholomaei Vitalis* sororum virginum, quarum una anno 1558, altera anno 1562 decesserat, apes habitasse, mellisque favos copiose admodum inter utrumque cadaver confecisse, donec tandem anno 1566 fulmine absque ulla vel illorum cadaverum, vel etiam favorum laesione apertum sepulcrum, favos ipsos, apesque numerosissime, ac diligentissime mellificantes coram omnibus demonstraret.

28. Sed DICES: Iuxta modo dicta cadaver leonis, quando *Samson* ad illud visendum rediit, iam fuit totum consumptum, et sola compages ossea seu sceleton sine carnibus aridum et exsuccum residuum erat; sed hoc est falsum et incredibile;

(4) *Commentar.* in Iud. c. 14, v. 8.

(5) In thesauro antiquitatum sacrarum, tom. 29, pag. 247, edit. venet. an. 1763.

(6) Réponses critiques, tom. 3 de melle leonis a *Samsone* dilacerati.

(7) Textus enim syriacus Iud. c. 14, v. 8, sic habet: *Reversus - deflexit ad videndum osseum cadaver leonis.*

(8) Lib. 5, c. 144.

(9) Lib. 1 de insectis, c. 1, p. 47, edit. francfurt. an. 1613.

nam intra spatium paucorum dierum cadaver illud non potuit ita consumi, ut esset scelerum sine omni carne aridum et exsuccum. Scriptura autem ait, *Samsonem occiso leone rediisse post aliquot*, seu paucos dies ad visendum cadaver occisae bestiae. Rem enim hanc Scriptura narrat (1) his verbis: *Et post aliquot dies* (ab occisione leonis elapsos) *revertens, ut acciperet eam* (philisthaeam mulierem in uxorem), *declinavit, ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.*

Ad hanc replicam *Calmet*, *Ugolinus*, *Bullet* locis supra (2) citatis; item *Arias Montanus* (3) et rabbinum a *Calmeto* citati respondent, *Samsonem* nonnisi post longius tempus, nimirum unius anni, vel aliquot mensium rediisse ad visendum cadaver occisi leonis. Nam in textu originali hebraeo simpliciter ponitur vox *dies* hoc modo: *וישב* *Et reversus est post dies ad accipiendam eam.* Similiter versio graeca *LXX* Interpretum sic habet: *καὶ ὑπέστρεψε μετ' ἡμέρας λαβὴν αὐτῆς.* *Et reversus est post dies accipere eam.* Et chaldaica paraphrasis ait:

*Et rediit ad tempus dierum ad accipiendam eam.* Iam autem vox *dies* numero plurali posita (hebraice *ימים*) in Scriptura non raro tempus longius unius anni, aut aliquot mensium significat. Sic (ut plura alia exempla ab

(1) Iud. c. 14, v. 8.

(2) Vide huius opusculi praecedentem num. 15.

(3) Commentar. in I. Iud. c. 14, v. 8, ubi *Arias Mont.* ita ait: « *Post aliquot dies.* Hebraeus idiotismus annum integrum significat, qui post sponsalia, ex gentium more illarum, permittebatur liber puellis ad sui ipsarum curacionem, ut ex hoc loco, et ex Abrahami historia apnotavimus. »

auctoribus supra laudatis rencensita taceam) Genes. 4, v. 3 in textu hebraeo ad literam dicitur: *ויהי* *Factum est post dies* (seu *in finem dierum*) id est, sub anni finem, ut offerret *Cain de fructibus terrae munera Domino.* Et Ex. 13, v. 10 *ושמרת את החקה הזאת למועדה* *Custodies huiuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies*, id est, ab anno in annum, seu quot annis; ut *Calmet* (4), *Cornelius a Lap.* (5), aliique interpretes exponunt. Taceo alia eiusmodi exempla, in quibus vox *dies* in s. Scriptura pro tempore unius anni, aut aliquot mensium accipitur.

INSTABIS: Quamvis negari non possit, vocem *dies* numero plurali positam in sacris litteris quandoque annum significare: tamen id perpetuum non est, et saepe (6) pro diebus naturalibus seu nychthemeris aliquot (7) accipitur, ita ut, num pro anno, an pro aliquot duntaxat diebus pluralis hebraeus *ימים* accipiendus sit, e loci cuiusque circumstantiis expendi oporteat. Iam vero in loco Scripturae, de quo hic agimus, nullae apparent speciales circumstantiae, ob quas modo dicta vox potius annum aut longum tempus, quam aliquot dumtaxat dies naturales significet. *¶* Adsunt speciales circumstantiae, et specialis ratio. Nam tempus intermedium inter occisionem leonis et reditum *Samsonis* ad visendum bestiae illius cadaver erat illud tempus, quod inter sponsalia *Samsonis* cum illa

(4) Commentar. in Exod. c. 13, v. 10.

(5) Ibid.

(6) Deuter. c. 34, v. 8. Levit. c. 12, v. 2, 4, 5, 6, et in pluribus aliis Scripturae locis.

(7) *Nychthemeron* (νυκθημερον) significat tempus unius diei et noctis, seu spatium temporis 24 horarum.

muliere philisthaea (1) et ipsum matrimonium cum eadem initum intercedebat; prout patet legenti totum caput 14 in L. Iud. praesertim v. 2, 5, 6, 8, 10 et 20. Iam autem tempus intermedium inter sponsalia, et matrimonium cum sponsa initum apud hebraeos ordinarie erat tempus unius anni, quo nimirum sponsus et sponsa vestes et ornamenta nuptialia, aut alia ad ineundum matrimonium praerequisita praepararent; prout manifestum est ex *Mishna* (2) vocabulo *Chetuboth*, quod significat *Regulas nuptialium pactorum* cap. 5. Videri etiam hac de re potest *Calmet* (3), et *Serarius* (4) praeter alios.

COROLLARIUM I. Non est magno opere mirandum, quod s. *Hieronymus* in sua versione latina, quam nostra Vulgata continet, Iud. 14, v. 8 tempus longum seu unius anni expresserit per haec verba: *post aliquot dies.* Iste enim teste *Ario Montano* (5) est idiotismus hebraicus, et simile exemplum habemus in paraphrasi chaldaica. Nam Genes. 4, v. 3, ubi textus hebraeus habet: *Factum est sub finem dierum*, seu (prout interpretes communiter exponunt) *sub finem anni*; nostra vulgata vero *factum est post multos dies*, paraphrasis chaldaica ait: *ויהי* *Et factum est post aliquot dies* (6).

COROLLARIUM II. Quoniam iuxta dicta cadaver occisi leonis per longum tempus, vel annum integrum sub dio iacuit carnivoris feris et avibus, aëri, ventis, ac ardentibus

(1) Mulier haec philisthaea non fuit *Dalila*, ut infra demonstrabimus, num. 51 in Scholio.

(2) *Mishna* corpus est iuris hebraici, de quo plura vide in dictionario biblico *Calmeti*.

(3) Commentar. in Iud. c. 14, v. 8.

solis radiis expositum, donec *Samson* ad illud visendum rediret, facile, id interim in scelerum, seu compagem osseam, carnibus exutam, aridam et exsuccam converti potuit, in qua examen apum veluti in alveari sedem figere et mel colligere poterat. Imo cl. *Bullet* (7) censet, intra spatium dierum non adeo multorum cadaver illius bestiae in scelerum converti potuisse praesertim, quia illa regio tanta vulpium multitudine abundat, ut ea ipsi caprarum gregibus non modicum nocumentum inferat; prout teste eodem *Bulleto* asseveravit dominus *Hasselquist*, qui anno 1751 in Palaestinam profectus est. Ceterum nos ipsi de ingenti vulpium copia in Palaestina existentium plura inferius quaest. VI dicemus. Iam vero tam copiosae ac rapaces ferae, cum gregem pecorum quantumvis a pastoribus custoditum non raro invadant et devorent, haud dubie cadaver occisi leonis sub dio iacens et incustoditum avide invaserunt, et intra paucos dies consumptis carnibus in scelerum converterunt.

29. QUARES VIII. *Quomodo verisimile reddi possit, quod Spiritus Domini* (Iud. cap. 14, v. 6 et 19; item c. 15 v. 14) *in Samsonem irruerit, ac eidem insolitum illud corporis robur, quo stupenda et vires humanas longe superantia facta paravit, concesserit; etiamsi Samson fuerit peccator, graviterque deliquerit contra legem Dei* (Exod. 34, v. 12; Deut. 7, v. 3) *ducendo uxorem exteram* (Iud. cap. 14) *mulierem philisthaeam?* *¶* Etiamsi *Samson* mu-

(4) Commentar. in Iud. c. 14, q. 10.

(5) Vide pag. praeced. notam (3).

(6) Vide biblia polyglotta card. *Ximenii* de hoc loco Scripturae.

(7) Réponses critiques, tom. 3 de melle leonis a *Samson*e dilacerati.

lierem illam philisthaeam in uxorem eligendo graviter peccasset, inde ne utiquam sequeretur, quod Deus insigni eum ad philisthaeorum excidium robore non affecerit. Nam corporis robur potest a Deo etiam peccatoribus dari, sicut et omnia animi charismata, quae gratiae gratis datae appellantur. Ubi notandum, quod theologi cum d. *Thoma* (1) praeter alias divisiones gratiae supernaturalis gratiam etiam dividere soleant in gratiam gratis datam, et gratum facientem. *Gratia gratum faciens* dicitur ea, quae confertur primario ad recipientis propriam salutem, ut gratus et acceptus Deo reddatur, aut formaliter, ut fit per gratiam sanctificantem, aut dispositive ac praeparative, ut fit per gratias actuales. *Gratia autem gratis data* sic dicitur, non quasi ipsa sola gratis detur (omnis enim gratia, prout hic accipitur, est donum gratis datum), sed quia proprio et specifico nomine caret, et vulgo nomen generis accommodari solet speciei ignobiliori; iam vero gratia gratis data est ignobilior, quia non ita immediate hominem coniungit cum Deo, sicut gratia gratum faciens, sed primario confertur ad salutem aliorum, licet secundo etiam conducat ad salutem illius, qui illam recipit. Variarum autem species gratiae gratis datae ab apostolo (2) enumerantur, inter quas sunt donum prophetiae, donum loquendi peregrinis linguis, donum patranda miracula etc., quas *Suarez* (3) fuse explicat. Ex dictis colliges, gratias gratis datas quandoque etiam improbis

(1) I, 2, q. 114, art. 1.

(2) I. Cor. c. 12, v. 8 et seqq.

(3) De divina grat. p. 1 proleg. 3, c. 8.

(4) Vide num. c. 22, v. 5, et c. 24, v. 17; item *Bonferrii* ac *Calmeti* commentar. in Num. 22, v. 5.

conferri, ut patet exemplo *Balaami*, qui cum esset homo impius, nihilominus donum habuit prophetiae (4), et *Caiphæ*, qui quamvis inique ad mortem Christum condemnaret, re ipsa tamen prophetavit (5). Imo id patet etiam ex illis Christi verbis (6): *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Donum ergo miraculorum vel aliae gratiae gratis datae non raro dantur etiam peccatoribus, et nequaquam certa sunt sanctitatis eorum, quibus Deus eas est elargitus, indicia. Ex his denuo concludo, *Samsonem*, etiamsi mulieri philisthaeae nubendo, aut *Dalilam* inordinato amore prosequendo graviter peccasset, tamen a Deo potuisse miraculoso illo corporis robore instrui. Hoc enim erat donum gratis datum, principaliter in bonum aliorum, scilicet hebraeorum a iugo philisthaeorum, sub quo tunc gemebant, liberandorum *Samsoni* a Deo concessum. Ex dictis simul colliges, *Samsonis* vires fuisse supernaturale ac miraculosum quoddam donum; nam a *Spiritu Dei* qui in ipsum irruebat (7), proveniebant: erant etiam permanens donum, atque habituale voluntate Dei ipsius comae, et Nazaraeati adhaerens (8).

30. Dixi: *Etiamsi Samson graviter peccasset etc.* Nam nequaquam certum est, *Samsonem* contra legem divinam deliquisse, dum mulierem

(5) Ioan. c. 11, v. 49, 50 et 51.

(6) Matth. c. 7, v. 22.

(7) Iud. c. 14, v. 6 et 19. Item c. 15, v. 14.

(8) Vide *Calmeti* commentar. in Iud. c. 14, v. 6.

philisthaeam uxorem duxit. Quamvis enim id aliqui affirmant, citantes in favorem sententiae suae *Theodoretum*, *Serarium* tamen contrariam sententiam dicit probabiliorem (1), et pro ea citat *Lyranum*, *Caietanum*, *Ariam Mont.* aliosque, quibuscum etiam *Cornelius a Lap.* (2) hac in re sentit ex ea potissimum ratione, quia Scriptura (3) dicit: *Parentes autem eius* (i. e. *Samsonis*) *nesciebant, quod res* (nempe attentatio matrimonii cum muliere philisthaeae ineundi) *a Domino feret*, i. e. Deo impellente ac in lege sua dispensante. Causa autem iusta dispensandi erat, ut philisthaei his nuptiis conciliarentur cum hebraeis, vel ut *Samson* (si philisthaei hebraeis arroganter dominari pergerent) occasionem propinquam nancisceretur philisthaeis gravia damna inferendi, sicque hebraeos a servitute philisthinorum liberandi; *Eo enim tempore philisthim dominabantur Israëli* (loc. cit.), et *Samson* a Deo destinatus erat, ut esset populi sui liberator.

31. SCHOLION. Mulier philisthaea, de qua numero praecedente locuti sumus, non erat *Dalila*. De hac enim dubium et controversum est, utrum uxor *Samsonis* fuerit, pluresque celeberrimi interpretes, nominatim *Serarius* (4), *Cornelius a Lap.* (5), *Calmet* (6), *Tirinus* (7) id negant. E contrario mulier illa philisthaea, de qua numero praecedente loquebamur, fuit vera uxor *Samsonis*, ut patet legenti cap. 14, in libro Iudicum, immo ibidem expresse et iterato (8) vocatur uxor *Samsonis*. Praeterea sequenti cap.

(1) Commentar. in Iud. c. 14, q. 3.

(2) Ibid. v. 4.

(3) Iud. c. 14, v. 14.

(4) Commentar. in Iud. c. 16, q. 5.

(5) Comment. in Iud. c. 16, v. 4.

(6) Ibid. (7) Ibid.

(8) Iud. c. 14, v. 15 et 20.

(9) Comment. in Iud. c. 15, q. 3.

15, v. 6, narratur, quod philisthaei hanc mulierem cum eiusdem patre combusserint. Dein cap. 16, primum sermo fit de *Dalila*, huiusque consortio cum *Samson*. Ex quibus manifestum est, aliam fuisse mulierem illam philisthaeam, de qua Iud. cap. 14 et 15, sermo est, et aliam *Dalilam*, de qua cap. 16 mentio fit.

32. QUÆRES IX. *An non fabula potius, quam historia illud sit, quod Scriptura (Iud. 15), de vulpibus Samsonis narrat? Quis enim credat, unum hominem, nimirum Samsonem, trecentas vulpes cepisse? 2. Quis credat, Samsonem caudas harum vulpium ad caudas iungere, et faces in medio ligare potuisse?*

3. *Cur non Samson ipsemet in segetes philisthaeorum ignem iniecit? Cur non loco vulpium canes, feles, aut lepores adhibuit?* Antequam respondeam, observo, quod haec, quam explicandam suscipio, *Samsonis* historia una ex iis sit, quae hostibus religionis revelatae, et universe omnibus rerum sacrarum irrisoribus ansam dat narrationes s. Scripturae false deridendi, et eiusdem *deusveritas* ac divinitatem impie negandi. Immo *Serarius* (9) iam de suo tempore loquens, testatur his verbis: *Audito, superioribus hisce annis, in Rheno huius nostri urbe quadam, virum fuisse, caetera bonum ac prudentem, qui diceret, posse omnia, quae in sacris literis sint, credere se: unum hoc non posse, tot a Samson captas vulpes.* Ut igitur imaginaria haec difficultas penitus tollatur;

¶ Ad PRIMUM: Eruditissimum est, Palaestinam (10) vulpibus

(10) Ex philisthaeis, qui portionem aliquam Palaestinae latius acceptae occupabant, Palaestinae nomen originem trahit. Dixi: Palaestinae latius acceptae. Laxiori enim et strictiori sensu Palaestina accipi potest. Si Palaestinam strictiori sensu usurpes, philisthinos, seu palaestinos de-

scatere, quod etiam ii qui Palaestinam lustrarunt, apertissime testantur. Id patet testimonio domini *Hasselquist* supra (1) adducto: item ex testimonio domini *Morison*, qui illam ipsam ingentem planitiem, in qua *Samson* trecentas vulpes taedis ardentibus onustas in segetes philisthaeorum immisisse dicitur, in itinere suo per Palaestinam contemplatus est. Is enim contra incredulos ita (2) scribit: *Si critici increduli scirent, sicut ego compertum habeo, Philisthim regionem maxime multitudine vulpium affluere, haud ulterius in incredulitate subridentes inquirerent: quomodo, et quo in loco Samson tot vulpes potuerit reperire.* Addit, se gannitus vulpium ex frutetis, aedificiorum ruderibus et ruinis, aut ubi haec animalia ferme sine numero foveas suas habent, audivisse. Accedunt testimonia s. Scripturae, quae in pluribus locis clare indicat, Palaestinam vulpibus abundare. Sic Canticorum Sponsus (3) ait, eas scatuisset in tantum, ut demolirentur florentes vineas: *capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.* Propheta *Ieremias* (4) inquit: *Propter montem Sion, qui disperit, vulpes ambulaverunt in eo.* Et *Ezechiel* (5) loquens de pseudo-prophetis, qui erant in *Israël*, eos vulpibus deserti comparat: *Quasi vulpes in desertis prophetae tui, Israël, erant.* Praeterea sacer Codex non pauca Palaestinae

signabis, eam terrae promissionis partem occupantes, quae iuxta Mediterraneum, a *Gaza* ad meridiem, *Lyddam* usque ad septentrionem protenditur. Si vero laxius Palaestinam sumas omnem regionem *Chanaan* ad utrasque *Iordanis* partes, seu terram promissionis intellige; quanquam saepissime ad citeriorem *Iordanis* ripam restringitur, adeo ut postremis temporibus *Iudaea* et *Palaestina* synonyma haberentur. Vide *Calmeli* dictionarium biblicum verbo *Palaestina* et *Philisthim*.

loca commemorat, quibus nomen a vulpeculis, quae ibi complures aderant, accessit: e. g. (6) ארץ שועל *eretz schual*, terra vulpis (7), חצר שועל *chatzar schual*, atrium vel habitatio vulpis, urbs in tribu *Iuda*: alia eiusdem nominis in tribu *Simeonis* (8). Copia igitur vulpium, quas caperet, *Samsoni* non defuit: neque eidem dexteritas et modus eas capiendi deerat. Cum enim Deus specialiter ipsum elegerit ad philisthaeos affligendos, et Spiritus s. eidem a prima adolescentia fuerit comes, rector et magister (9), haud dubie ei dedit non solum singulare corporis robur et fortitudinem, sed etiam miram dexteritatem et velocitatem similem illi, quam *Asaël* (10) habuit, qui cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis, quae morantur in sylvis. Ex his plane liquet, nequaquam incredibile esse, quod *Samson* brevi aut perpauca certe diebus, adhibitis fortasse quibusdam retibus aut aliis instrumentis venatoriis, et adiutoribus venationis sociis trecentas vulpes ceperit.

Dixi: adiutoribus venationis sociis. Nam quod quis per alium facit, id censetur ipse facere, aiunt *ICTI*. Et profecto nullibi legitur, quod *Samson* solus, aut intra unum diem tot vulpes ceperit. Partem earum forsitan ceperunt servi, amici, coloni: imo forte ad mandata iudicis et principis sui, parati erant vicini o-

(1) Num. 28, coroll. 2.

(2) Lib. 2, c. 31.

(3) Cant. 2, v. 15.

(4) Threnor. e. 3, v. 18.

(5) Cap. 15, v. 4.

(6) 1. Reg. c. 15, v. 17.

(7) Iosue, c. 15, v. 28.

(8) Iosue, c. 19, v. 5.

(9) Iud. c. 15, v. 25, et cap. 14, v. 6 et 19.

(10) II. Reg. c. 2, v. 18.

mnes ex hebraea gente, tunc temporis sub philisthaeorum iugo gementes. Adde quod idem Deus, qui flante vento innumeras coturnices in castra *Israël* egit (1), pariter plurimas vulpes in casses *Samsonis*, huiusque adiutorum poterat impellere.

¶ AD SECUNDUM: Nec impossibile, nec incredibile est, quod *Samson* (accedente verisimiliter plurium virorum adiutorum opera) binas quasque ex illis trecentis vulpes fune ad caudam alligato, in cuius medio taeda posita erat, iunxerit, ita tamen, ut, cum easdem iam vellet emittere, taedam primum accenderet; prout sat clare indicat textus sacer, qui post illa verba: *Caudasque earum iunxit ad caudas, et faces ligavit in medio*, subdit: *quos igne succendens, dimisit, ut huc illuc discurrerent*; vel, ut textus graecus LXX interpretum habet: *Et accendit ignem in facibus, et misit in manipulos philisthinorum* (2).

Caeterum exemplum simile huic stratagemati habemus in *vulpinalibus* romanorum, quae hoc loco silentio praeteriri haud debent, cum ostendant, neququam incredibile esse, quod *Samson* vulpes cum taedis ardentibus ipsarum dorso impositis in segetes immiserit. Igitur *vulpinalia* erant annum romanorum festum, medio aprilis celebrari solitum. Tunc enim romani plures in circo vulpes cum taedis ardentibus dorso alligatis decurrere permittebant. Originem autem huius festi *Ovidius* (3) narrat his versibus:

Cur igitur missae iunctis ardentia taedis  
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi  
est.

(1) Num. 14, v. 31.

(2) Iud. c. 15, v. 5.

(3) Lib. 4 Fastorum.

(4) *Carseoli* olim Italiae civitas erat 4,000 passus distans a loco, ubi hodie est

causam vero ille subiungit hanc, quod *Carseolanus* (4) quidam adolescens, cum cepisset vulpeculam, eamque stipula foenoque involvisset, illi ignem applicuerit, ut eam combureret; verum cum animal celeriter aufugisset, flammam intulerit segeti, quae iam erat matura ad messem; cuius rei, ut perenne monumentum existeret, inquit *Ovidius*, comburebantur vulpes in circo, eas dimittendo, cum tergo incensae tae dae alligatae fuissent. En! dicti poëtae versus:

Is (adolescens) capit extremi vulpem convalle  
salicti,  
Abstulerat multas illa cohortis aves.  
Captivum stipula foenoque involvit, et ignes  
Admovet, urentes effugit illa manus.  
Qua fugit, incendit vestilos messibus agros,  
Damnosis vires ignibus aura dabat.  
Factum abiit; monumenta manent: nam  
vivere captam  
Nunc quoque lex vulpem *Carseolana* velat.  
Utque luat poenas genus hoc cerealibus ardet,  
Quoque modo segetes perdidit, illa perit.

Ita quidem *Ovidius*. Sed *Serarius* (5) et *Bochartus* (6) huius poëtae sententiam de spectaculi istius origine refellunt; atque id factum fuisse a romanis contendunt ad imitationem illius, quod *Samson* fecit adversus philisthim, quamvis post annos et secula memoria *Samsonis* apud romanos oblitterata fuerit, et *Carseolani* illius adolescentis fabula successerit. Constat enim poëtarum fabulas quam plurimas e rebus verisimilis, quas memoriae *Moyse*, aliique divini prodiderunt vates, ortum ducere. Quare valde videtur credibile, aliquam de *Samsonis* vulpibus famam ex oriente in occidentem, e Palaestina Romam, a thamnathaeis, aliisque philisthaeis ad *Carseolanos* et romanos pervenisse; aliquodve

*Civitas Carentia*. Prout ex *Holstenio* narrat lexicon universal. lipsiens. tom. 5, pag. 1149.

(5) Comment. in Iud. c. 15, q. 7.

(6) Hieroz. p. 1, lib. 5, c. 15.